

[1] Utrum satius sit modicōs habēre adfectūs an nullōs, saepe quaesitum est. Nostrī illōs expellunt, Peripatētici temperant. Ego nōn videō, quōmodō salūbris esse aut ūtilis possit ūlla mediocritās morbī. Nōlī timēre: nihil eōrum quae tibi nōn vīs negārī, ēripiō. Facilem mē indulgentemque praebēbō rēbus, ad quās tendis et quās aut necessariās vītae aut ūtilēs aut iūcundās putās: dētraham vitium. Nam cum tibi cupere interdīxerō, velle permittam, ut eadem illa intrepidus faciās, ut certiōre cōnsiliō, ut voluptātēs ipsās magis sentiās: quidnī ad tē magis perventūrae sint, sī illīs imperābis, quam sī serviēs?

[2] ‘Sed nātūrāle est’ inquis ‘ut dēsideriō amīcī torquear: dā iūs lacrimīs tam iūstē cadentibus. Nātūrāle est opīniōnibus hominum tangī et adversīs contrīstārī: quārē mihi nōn permittās hunc tam honestum malae opīniōnis metum?’ Nūllum est vitium sine patrōciniō; nullī nōn initium verecundum est et exōrābile, sed ab hōc lātius funditur. Nōn obtinēbis ut dēsinat, sī incipere permīseris.

[3] Inbecillus est pīmō omnis adfectus; deinde ipse sē concitat et vīrēs, dum prōcēdit, parat: excluditur facilius quam expellitur. Quis negat omnēs adfectūs ā quōdam quasi nātūrālī fluere pīncipiō? Cūram nōbīs nostrī nātūra mandāvit, sed huīc ubi nimium indulseris, vitium est. Voluptātem nātūra necessariīs rēbus admiscuit, nōn ut illam peterēmus, sed ut ea, sine quibus nōn possumus vīvere, grātiōra nōbīs illius faceret accessiō: suō veniat iūre, luxuria est. Ergō intransibilibus resistāmus, quia facilius, ut dīxī, nōn recipiuntur quam exeunt.

[4] ‘Aliquātenus’ inquis ‘dolēre, aliquātenus timēre permitte.’ Sed illud ‘aliquātenus’ longē prōdūcitur nec ubi vīs accipit finem. Sapientī nōn sollicitē cūstōdīre sē tūtum est, et lacrimās suās et voluptātēs, ubi volet, sistet: nōbīs, quia nōn est regredī facile, optimum est omnīnō nōn prōgredī.

[5] Eleganter mihi vidētur Panaetius respondisse adulēscētulō cūdam quaerentī an sapiēns amātūrus esset. ‘Dē sapiente’ inquit ‘vidēbimus: mihi et tibi, quī adhūc ā sapiente longē absumus, nōn est committendum, ut incidāmus in rem commōtam, inpotentem, alterī ēmancupātam, vīlem sibi. Sīve enim nōs respicit, hūmānitāte eius inrītāmur, sīve contempsit, superbiā accendimur. Aequē facilitās amōris quam difficultās nocet: facilitāte capimur, cum difficultāte certāmus. Itaque cōnsciī nōbīs inbecillitātis nostrae quiēscāmus; nec vīnō infirmum animum committāmus nec fōrmae nec adūlātiōnī nec ūllīs rēbus blandē trahentibus.’

[6] Quod Panaetius dē amōre quaerentī respondit, hoc ego dē omnibus adfectibus dīcō: quantum possumus, nōs ā lūbricō recēdāmus; in siccō quoque parum fortiter stāmus.

[7] Occurrēs hōc locō mihi illā pūblicā contrā Stōicōs vōce: ‘Nimis magna prōmittitis, nimis dūra praecipitis. Nōs homunciōnēs sumus; omnia nōbīs negāre nōn possumus. Dolēbimus, sed parum; concupīscēmus, sed temperātē; irāscēmur, sed plācābimur.’

[8] Scīs, quārē nōn possīmus ista? Quia nōs posse nōn crēdimus. Immō meherculēs aliud est in rē: vitia nostra quia amāmus, dēfendimus et mālūm excūsāre illa quam excutere. Satis nātūra hominī dedit robōris, sī illō ūtāmur, sī vīrēs nostrās colligāmus ac tōtās prō nōbīs, certē nōn contrā nōs concitēmus. Nōlle in causā est, nōn posse praetenditur. Valē.